


Nf. 23.

PROGRAMMA SACRVM,
 QVO
 ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
 PRORECTOR
SIMON PETRVS GASSER, ICT.
 POTENTISSIMO BORVSSIÆ REGI A CONSILII INTIMIS,
 BELLIC. AC DOMINIAL. IVRIVM ET RERVVM OECONOMICO-
 CAMERALIVM PROFESSOR ORDINARIVS, ET SCABINA-
 TVS IN DVCATV MAGDEBVRGICO
 SVBSENIOR,
 VNA CVM
 CANCELLARIO, DIRECTORE
 AC
 PROFESSORIBVS
 RELIQVIS,
 CIVIBVS ACADEMICIS
 DIGNAM
 DE
SPIRITV SANCTO,
 TANQVAM PRIMARIO FRVCTV
RESVRRECTIONIS CHRISTI, *de.*
 MEDITATIONEM,
 PENTECOSTALIBVS FERIIS PIE INSTITVENDAM
 COMMENDAT.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ, 1732.
 Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.





Ferias pentecostales diuini plenissimas esse solatii, omnes quotquot rem, quæ his feriis solenni celebratur memoria, æqua animi lance expendant, vno ore testantur. In iis enim recolimus *spontanea* illius *pluuie* (a) memoriam, quam noui tempore foederis alto benignissimum numen coelo demisit, quæque peculium suum ab antiquissimis inde Vet. Testamenti temporibus, grauissimo Mosaicorum statutorum onere intolerabileque eorum iugo defatigatum, ac tantum non profus exanimatum, refocillauit, refocillatum ex miseriarum calamitatumque puluere erexit, atque in integrum restituit. Non igitur his feriis immerito sibi gratulantur, lætisque hanc admirabilem rerum humanarum catastrophæ plaustibus excipiunt, tripudiis celebrant, quotquot anxio suæ miseræ sensu adfecti, fontem salutis quærunt, aquas viuentes, sitientis instar *ceruis*, (b) anhelant, iisque resciri ac recreari concipiunt.

Agite autem, **C**IVBS huius Fridericianæ nostræ **CARISSIMI**, vestrosque nobiscum animos ad dulcissimos **CHRISTI** nostri, quem nuper admodum ex mortuis resuscitatum vidimus, quem in sublimes euectum cælos lætabundi contemplati sumus, quem ad Patris sui dextram sedere iustum iamiam veneramus, fructus aduertite, quos suo nobis merito comparuit, ut publice faciamus testatum, nos diuinorum, quibus cumulati a **CHRISTO** sumus, beneficiorum non fuisse profus immemores, sed pio grati animi adfectu, his præcipue feriis ea reuocasse in memoriam. Idque agite nobiscum eo lubenius, quo clarius ipse **CHRISTVS** de sui exaltationis fructibus eorumque complexu, cum adhuc inter mortales ageret, edidit vaticinium. Enimvero cum referente **IO ANNE**, (c) vberiore dictorum **CHRISTI** vltimorum scriptore, quidam essent insigni *Lazari* huic vite a **CHRISTI** redditi miraculo, (d) ac hilari populi **CHRISTVM** asino vectum comitantis ad-
planstu

(a) Ps. LXIII, 10. (b) Ps. XLII, 2. (c) c. XII, 17. sq. (d) c. XI,

plausu (e) exciti, qui Philippo, vni ex duodecim eius discipulis, suum de CHRISTO, multorum qui hucusque patratore exstiterat miraculorum, videndo desiderium exponerent, Philippus autem illud cum Andrea communicaret, vterque tandem apostolus illud ad IESVM deferret: *tempus venisse*, inquit hic, (f) *quo filius hominis esset gloria condecorandus*: Idque confirmat eommate sequenti duplici adseueratione, ac singulari quodam simili, a tritici grano (g) desumpto, illustrat, *quod solum maneat*, id est, *sterile, nisi terræ mandetur* *Emoriatur*: sin vero emoriatur, *πολὸν καρπὸν φέρει*, *multum fructum ferat*. Quorum verborum litteræ sensus, vti perfacilis intellectu est: sic sensus eorum *litteralis* a CHRISTO hic intentus, vt sub hoc simili delirescens, sedula nostra indagatio- ne dignus esse putatur. Geminam videlicet rem optimus Seruator prædicat, suam mortem ac sepulturam, siquæ ex morte resurrectionem, vna cum iis, qui hanc consecuturi sint, fructibus. Mortem suam ac sepul- turam proponit sub imagine grani triticei, in terræ sinum proiecti, & per aliquam putredinem emorientis: quemadmodum enim eiusmodi granum in terræ emoriatur, sic futurum esse prædicat, vt ipse quoque emoriatur ac terræ mandetur per sepulturam. Simul autem huius suæ mortis, proxime tunc, cum hæc loqueretur, instantis necessitatem ver- bis insinuat non obscuris. Enim vero quando dicit, *solum*, id est, *sterile manere tritici granum, nisi cadens in terram emoriatur*; eo ipso in- dicat, nisi ipse moriatur, *sterilem se manere nec vllum ferre fructum*. Sui resurrectionem, vna cum eius fructibus sub eadem imagine grani triticei proponit, in terræ quidem emortui, attamen ex se putrefacto vegetam agentis radicem, viridem protrudentis herbam, in lætis excre- scentis culmos, aristas ostentantis, trigecuplis, imo sexagecuplis granis prægnantis. In fatis enim erat, vt CHRISTVS, *si posuisset animam suam piaculare sacrificium, videret semen, diesque suos prolongaret, ac gratiosum Dei decretum per ipsum prospere succederet*. In fatis erat, vt *exantillatis animæ suæ laboribus, satietate fruere*tur, *perque sui cognitio- nem multos redderet iustos*. (h) Sensus ergo litteralis, quem his verbis symbolicis Seruator intendit, prout hæc cum thesi sua coherent, hunc

);(2

for-

(e) Jo, XII, 12, 13. (f) *ibid.* com, 23. (g) Manentius in interpretatione vulgari, licet nulli ignoremus, quod de grano triticeo hic dicitur, id quoque de grano cuiusuis frumenti posse dici, vocemque *σῖτος*, qua Io- hannes vititur, generatim omne *frumentum* designare. (h) Ies, LIII, 10, 11.

forte in modum concipi potest: *Tempus venit, quo ego, filius hominis, gloriosus euadam. Etenim id vobis confirmo, non esse futurum, ut diuinitatis mea gloria porro sub seruili habitu lateat, Scertis tantum temporibus aliquos per miracula radios emittat, sed vt pleno tandem aliquando iurare se conspicuam omnibus exhibeat. Quemadmodum enim tritici granum solum manet ac sterile, nisi in terram proiectum emoriatur; sin autem emoriatur, multum fert fructum: sic ego quoque solus manerem ac sterilis, id est, nemini prodessem, si sub seruili habitu semper apud vos agerem, tandemque, veluti alius quidam homo, mortem, tanquam natura debitum, oppeterem. Itaque, vt ego, fructiferi instar grani, multis profim, opus est, vt mortem subeam, atque ex morte mea, si resurrexero, multi proueniant fructus, in alios redundantes.*

Ergone, inquitis, hoc dicto CHRISTVS vaticinatus est, cum de morte sua, proxime subeunda, tum vel maxime de sui ex mortuis resurrectione eiusque fructibus: quinam vero sunt, non male queritis, illi fructus, ex resurrectione & exaltatione eius redundantes, de quibus Seruator loquitur? Haud deerimus iis recensendis, si pramonuerimus, effectus resurrectionis CHRISTI sollicite ab eius fructibus esse distinguendos. Effectus enim resurrectionis CHRISTI sunt omnia ea, quae ex resurrectione immediate, respectu ipsius CHRISTI consequuta sunt. Et ad hos effectus referimus 1) publicam declarationem, CHRISTVM, ex mortuis resuscitatum, non fuisse nudum hominem, sed simul etiam Deum, (i) 2) Solenne testimonium, quam CHRISTVS antegressa morte sua satisfactionem Patri suo pro humano genere praestiterit, ipsi fuisse gratam ratamque: quandoquidem eius ex mortuis resuscitatio, nihil erat, nisi eius ex carcere vel iudicio diuino dimissio. Fructus autem resurrectionis CHRISTI, sunt ea commoda, ea bona, quae ex illa in eos redundant, quorum causa resurrexit: vno verbo sunt illi resurrectionis effectus, qui se nobis fruendos praebent. Eorum vno plures enumerari a nobis possent, nisi ipse SPIRITVS SANCTVS eiusque missio, quam his diebus solenni recolimus memoria, tamquam primarius resurrectionis CHRISTI fructus, praecipuas nostrae sibi considerationis partes deposceret. Ipse enim Seruator SPIRITVS SANCTI missionem a suo ad Patrem suum abitu suspendit, (k) manifesto documento,

(i) Rom. I, 4. (k) Io. XVI, 7. Scilicet Christi ad Patrem abitus fieri debuit tum per mortem, tum etiam per resurrectionem e mortuis. Quare Spi-

resurrectionis suæ ac sessionis ad dexteram Patris fructum præcipuum esse, imo, vt verius loquamur, reliquorum fructuum complexum, ipsam SPIRITVS SANCTI missionem. Cur autem? inquitis. Quia ex diuina œconomia ac dispensatione SPIRITVS SANCTVS ea omnia hominibus adplicare debebat, quæ CHRISTVS iis morte ac vexationibus suis promeruerat. Quæ adplicatio cum necessaria fuerit, nec nisi gratiosa Spiritus Sancti operatione nobis contingere potuerit: manifestum est, illius missionem, quæ Christi resurrectionem consecuta est, primarium esse resurrectionis illius fructum, imo reliquorum fructuum, quicunque nominari possunt, complexum. (l)

Videndum igitur, quid vtilitatis, quid commodi atque emolumentum ex SANCTI missione SPIRITVS in nos redundet, vt certo nobis constet ratio, quamobrem illa missio pro primario resurrectionis CHRISTI fructu habeatur. Supra nimirum iam observatum præmonitumque a nobis est, diuina œconomia vel ordinatione SPIRITVS SANCTO id muneris adsignatum delatumque fuisse, quo hominibus per peccati labem deprauatis, at per CHRISTVM cum Deo reconciliatis, bona caelestia, a Patre iis destinata, a Filio autem adq̄uisita, adplicaret. Hæc autem adplicatio, dum ad homines tendit, tam grande Dei opus esse putatur, tamque mirabile, quam Deus in prima creatione exhibuit, cum ex nihilo materiam, ex materia autem multa alia corpora fecundante suo SPIRITV (m) produceret, atque animaret. Homo enim in corruptæ suæ statu naturæ spectatus nihil in se boni possidet, vsque adeo, vt intellectus eius, diuino cassus lumine, vera Dei notitia, vera sapientia careat; voluntas autem eius, cæco intellectus imperio obtemperans, ad praua fertur, vero Dei & amore & timore vacua. Animus ergo hominis corrupti, tanquam primaria eius pars, tantum abest, vt ad mentem sui conditoris conformatus sit, vt potius similis euaserit rudi indigestæque molli, a SPIRITV diuino primitus fecundandæ atque digerendæ. (n) Ex misero igitur isthoc statu homo transferendus in meliorem, diuina virtute

)(3

ritus Sancti missio pro vtriusque consequente vel fructu haberi potest. Cum autem, si mortuus quidem fuisset, ex mortuis vero non resurrexisset, fieri abitus ad Patrem non potuerit: in aprieco est, Spiritus Sancti missionem præcipue & proxime esse fructum resurrectionis Christi. (l) Hinc Christus etiam illius tantum mentionem facit, quando de iis loquitur, quæ sui ex mortuis resuscitationem erant consecutura, (m) Gen. I, 2, Pl. XXXIII, 6, (n) ibid,

indiget, quā in meliorem beatiorēque statum traducatur. SPIRITVS SANCTVS autem, vt diximus, illud muneris administrat, vt quod Deus Pater humano generi destinauit salutis, quod ipsi honorum adquisiuit Filius, id ipse hominibus offerret & conferret. *Oblatio* salutis fit per verbi diuini *vocationem*, quo SPIRITVS SANCTVS tanquam salutare vitur instrumento, homines peccatorum veterno excitandi, eorum intellectum diuino lumine collustrandi, (o) eorumque voluntatem emendandi, & ad Dei voluntatem ac mentem conformandi. *Collatio* salutis fit per *regenerationem ac conuersionem*, qua hominibus, diuinæ vocationi non renitentibus, vires conferuntur, & prauam indolem deponendi, & meliorem indolem induendi, quæ diuinæ voluntati *bonæ, acceptæ ac perfectæ* (p) respondeat. In hunc statum homo a diuino Spiritu perductus, ab eodem in illo conseruatur, ita, vt magis atque magis *integretur, confirmetur, corroboretur, fundetur*, (q) donec in *iustam* CHRISTI *statuam* excrescat, & vir euadat *perfectus*, (r)

Hoc SPIRITVS SANCTI munus, prout breuissimis illud verbis descriptum dedimus, a CHRISTO quoque declaratur luculentius. Cum enim in vltimis, quos ad amicos suos habuit, sermonibus, SPIRITVM SANCTVM a se missum iri prædicit, ei simul eiusmodi tribuit negotia ac munera, quæ exacte cum iis, quæ modo diximus, conspirant. Tribuit ipsi munus *elentificum* (s) quod exerciturus erat aduersus improbos, eorum delicta detegendo, adcusando, ipsos improbos maledictionis fulmine terrendo, & ad rectiorem vitam compellendo. Tribuit ipsi munus *paracleticum*, (t) quod inter eos erat administraturus, qui in angoribus ac doloribus conscientie constituti, iustitiam, coram Deo acceptam, stirent, siccoque anhelarent palato, (u) eos firmo solamine, ex pacis præconio petito, erigendo, dulcesque CHRISTI amores, quibus ductus pro peccatis eorum satisfecerit, salutemque amissam merito suo repararit, iis propinando: vt, seruili spiritu eiecto, filiorum more exclamare queant: *Abba, Pater!* (x) Tribuit ipsi munus *didascalicum*, (y) quod administraturus erat inter homines, eos ab erroribus ac diuinarum rerum ignorantia reuocando, contra vero in omnem veritatem ducendo.

Quam-

(o) Hinc Spiritus eluit ἀποκαλύψας. Eph. 1, 17. (p) Rom. XII, 2. (q) 1. Petr. V, 10. (r) Eph. IV, 13. (s) Jo. XVI, 8. (t) 1o. XIV, 16. 26. c. XVI, 7. c. XV, 26. (u) Matth. V, 6. (x) Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6. (y) 1o. XIV, 26, c. XVI, 13, 14.

Quamobrem ex variis his, quæ ex CHRISTI ore recensuimus, SPIRITVS SANCTI negotiis ac muneribus, satis liquet, cum Spiritus ille maxime in hominum salute & emendatione operosus sit, eum propterea pro primario resurrectionis CHRISTI fructu esse habendum.

Quorsum autem hæc a nobis dicta putatis, CIVES CARISSIMI? Qui rem recte expendit, SANCTVMque SPIRITVM non apostolorum tantum gratia missum, sed & nobis datum esse, si illorum fidem testimonio habeamus, considerauerit: non male exinde colliget, primo loco JESV nostro submissas a nobis persoluendas esse grates, quod SPIRITVM, ad Patris sui dextram euectus, tanquam amoris ac gratiæ suæ pi-
gnus miserit, quo tanquam *arrhabone* (z) *caelestis hereditatis*, in futurum adeundæ, vteremur, fruere-
mur; donec his rebus exenti caducis, atque in cælos translatis, ipso *iure in re* gauderemus, id est, reuera eius enaderemus coheredes. Secundo loco nobis incumbit, vt SPIRITVM SANCTVM, donum illud, quo adfecti sumus, vere diuinum tam sancte excipiamus atque habeamus, vt a nobis eius excipi postular atque haberi sanctitas. Sancte & reuerenter ipsum habebimus, si & ferias, quas in huius memoriam beneficij honoremque concelebramus, tranquille ac modeste transigamus, ne, nobis secus facientibus, alii, a nostro vitæ ac professionis genere remoti, scandalum capiant, prauoque nostro exemplo ad prauam imitationem proluciantur: & in id enitamur, vt hunc quoque resurrectionis CHRISTI fructum gustemus. Id fieri nequit, nisi munus SPIRITVS SANCTI *eleuaticum*, quod nostri emendationem intendit, in penitentia ordine, & sancto experiamur adfectu, & eius finem in nobis obtinendum, obtineri patiamur. Quem si obtine-
rimus, peropportuno nobis erit munus eius *consolatorium*, adeo, vt neque conscientia nostræ terrores & angores, neque cacodæmonis ad-
culationes, neque diuinæ legis execrationes ac fulmina, neque etiam improborum persecutiones hominum, animos nostros commouere, con-
turbare, vel infringere quoque valeant: sed diuini illius SPIRITVS blando solamine muniti quæuis tentationum adfectionumque tela vel re-
tundamus profusus, vel sine vlla noxa excipiamus. Gratum quoque nobis erit munus eius *didascalicum*, quo nos, in omnem veritatem ductos, ab erroribus, animis nostris exitium minitantibus, immunes præstabit ac liberos, ita, vt *omnia probare* calleamus, *quæque bona, retinere*. (a)

O nos

(z) Eph, 1, 14. 2, Cor, 1, 22, c, V, 5. (a) 1, Theff, V, 21.

O nos terque quaterque beatos! si nobis contingeret esse tam felicibus, ut, facessere iussis vanarum rerum studiis, & pravis huius seculi voluptatibus ad tartara proscriptis, vnicum nostrum ad diuini illius doni possessionem ac copiam contenderet studium. Tunc enim certo futurum esse persuasi essemus, ut, caelesti isthoc dono, eoque omnium, quæ diuinitus conceduntur, donorum excellentissimo maçtari, in studiis quoque nostris, reliquisque quæ occipimus negotiis, largiora videremus atque exstantiora diuinæ prosperitatis documenta, caprisque indies nouis incrementis, nouam nobis vere gratulandi nancisceremur materiam. Quod ut fiat, cum nostris vestra coniungite vota, **CIVES CARISSIMI!** ut Deus Domini nostri **JESU Christi**, Pater gloria, nobis det Spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius illuminatos oculos mentis nostræ, ut sciamus, quæ sit spes vocationis nostri, & quæ sint diuitiæ gloriose hereditatis eius in sanctis, (b) quo eiuratis huius mundi crepundiis, ea queramus, quæ superne sunt nobis adseruata in calis. (c) Amen! P. P. In Fridericiana, ipsis feriis Pentecostalibus A, O, R.
clō 15 cccxxii.

(b) Eph, I, 17, 18. (c) 1. Petr, I, 4. Col. III, 1, 2.





Ja 30/11

St

Witt

10007





B.I.G.

Farbkarte #13

PROGRAMMA SACRVM,
 QVO
 ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
 PRORECTOR

IMON PETRVS GASSER, ICT.

OTENTISSIMO BORVSSLÆ REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
 LLIC. AC DOMINIAL. IVRIVM ET RERVV OECONOMICQ-
 CAMERALIVM PROFESSOR ORDINARIVS, ET SCABINA-
 TVS IN DVCVTV MAGDEBVRGICO
 SVBSENIOR,

VNA CVM
 CANCELLARIO, DIRECTORE

AC
 PROFESSORIBVVS
 RELIQVIS,
 CIVIBVVS ACADEMICIS
 DIGNAM

DE
 SPIRITV SANCTO,
 TANQVAM PRIMARIO FRVCTV
 RESVRRECTIONIS CHRISTI,
 MEDITATIONEM,

de.

PENTECOSTALIBVVS FERIIS PIE INSTITVENDAM
 COMMENDAT.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ, 1732.
 Typis IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

